QUÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 21. Maii. 1348

1348

M. PHILIPPO DOUTE', Doctore Medico, & Scholarum Professore, Præside.

An Mente quàm Audaciâ Medicus fœlicior?

SINE nomine Medicus ille, qui Rem hujus non tenet ac profitetur, acturus modò Tragœdiam, servit personæ: seu sit inter Empeiricos Ordinis primarij vel ultimi: seu de Methodicorum humiliore scena tumultuariò prodeat: sive omnium pararius & Interpolator audiat is Sectarum, quinimò nullius, de illorum fæce qui Vagi, Miscelliones, Volones, Gregarij, ἀπιμάγελοι, Parabolani, Insecta totidem fugacia sequioris ævi, propudiosa καθάρματα circulatoriæ Nationis. Næ titulum quidem omnes sciunt illi aut implent suum, & quam duro ore induere agnoscunt larvam. Nominatissimus unus Medicus ille, qui planè ἠδελφισμένος ὁμότεχνος, Professione Dogmaticus, alumnus Hippocratis nec degener, Veterum justus hæres litterarum, nullam divini muneris partem desinit, liberali exquisitæ scientiæ instructus Viatico, legitimis ad operam legitimam instrumentis dives, plenâ in dubiis & obscuris luce mentis subacto ingenio perspicax, inter caduca extremaque erectus, ad subita & improvisa animo præsenti, rectò, etiam naufragus, malô alienâ ferè culpâ, vix suâ, quocunque sors se verterit, exhibet eam quam nusquam exarmatus profert ἰατρικὴν πραγματείαν, Naturæ Candidatus Libertusque, non Fortunæ manceps cui à limine primo remisit repudium. Innocentis quippe Natura domina una & magistra Medicinæ, fundi sui sat locuples bonis; sequestra artis & vitæ fœlicioris, ægræ, integræ, dubiæ interpres & sospita valetudinis, ejus propalam occisæ sola vindex, ipsâ fortunatior venit Fortunâ cujus interdum, errori prospero προσοκύρησιν ἀκέστορ, triumphati à se morbi soteria, vulgò deferri sine invidia, injuriâ iniquissimâ sustinet.

RARA siquidem & operosa multùm solida in medendo fœlicitas auxiliis licèt provocata majoribus: huic ipsa quippe nonnunquam intercedit regere oblita, regi nescia Natura: integræ familiæ pejùs adulantis inofficiosa sollicitudo: ægri immorigeri suis cupediis indulgentis animus à suis rebus abalienatus: operæ nihil desideratæ præpostera sinisteritas: sedulitas iners, famulæ artis in dominæ jura & bona involantis inscitiæ imperitiæque vernacula temeritas: adeò multa in transennam unà cum laborante medentem inducunt, præcipiti via cunctatum adurgent modò velis & equis modò properantem morantur; ad offensionem prona latent & pendent in lubrico posita, arti operique simul faciunt plenam dissensionis controversiam scientiæ. Viden ut quæ medendi carceres aperit neque à morbo petenda Indicatio sæpiculè mutat devergitque in contraria: missâ mappâ jubet quod primùm prohibuit: in acutis, diuturnis, magnis, parvis, malignis, benignis, periculosis, tutis, variolis, exanthematis, bubonibus, ulceribus, ætate primâ, ultimâ, gravidis, puerperis venam tundi superam, inferam, delectu nullô, aliquô, κατ' ἴξιν, ἀνάπαλιν, parcè, μεμετρημένως, largiter, ad animi deliquium, aut sanguinis mutationem, apoplecticis, comatosis, phreniticis, anginosis peti jugulum, arteriam cædi, vagos humores comprimi repellentibus, attrahentibus evocari, contraria adhiberi, similia usurpare, ut Antiquæ accedant Medicinæ, Professores Novæ, modò feriari & interquiescere, omni denique ratione subductâ nihil habere quicquam comperias, ne ἀνυπεύθυνα quidem quod sit perpetuum, ac fore integrum Medico mutatâ velificatione capere vorsoriam, suô imperiô suisque auspiciis Medicinam facere, nemini quidem invidendâ istâ potentiâ quæ temperare sciat curam & modum Medicæ virtutis ac prudentiæ, vacet infortuniô prosperôque se approbet eventu.

COMMUNIA quidem isthæc cuique Medicum se professo εὐτυχίας Vota, at studia diversa singulis, iniqua pluribus, plurimis peregrina, soli casta & sincera Dogmatico, qui unicum Artis suæ finem novit sibique proposuit νόμῳ καὶ λόγῳ Medicæ virtutis consequendum, integrâ retinendum fide & dignitate κατ' ἀρετὴν, Artificis χρήσει καὶ ἐνεργείᾳ modò æstimandum: hinc votis paribus Artis & Artificis fœlicitas, bonum optimum & summum privilegiô ætatis & temporis: nonnisi labore redempta improbô: ideo τέλος quia ἐν τελείῳ immatura puero seris venit ab annis, suffragiô quidem Fortunæ ὥσπερ προσιάπτου τινός illustrior ornatiorque, nihilo certè amplior aut præstantior. Longè alius ab eo alter ille, qui dicitur, Artificis finis reculæ focillandæ exaugendæque quem unicè sibi ponunt ἀγοραῖοι, illiterati Tribones, notis compuncta servilibus Mancipia Fortunæ beata quidem censu criminis sui, at caduci nominis adulterâ famâ quam ex inscitiæ latebris excitatâ desperatione salutis superba titulis atque insolens Audacia peperit: Naturæ simul & Medicinæ venenum præsentissimum. Nunquid enim bonæ Fortunæ geniô facturus is Audaciâ nulli τῶν ἐγκυκλίων utili, cui gentile est, metuenda nescire: occasione, medendi animâ, bene uti, legem & modum tenere agendorum. Ecce malis nil movetur imminentibus, securus & negotiosus ovat extremis, Criticæ perturbationis ac vindictæ nescius, Naturæ bonis trepidat præsentibus, pendentem animum despondet. Solida vi sine mente, patronus morbi Naturæ ἀντίπαλος, suas partes deserit illius in procinctu quum certamen cernitur, Gulæ, crapulæ, pharmacis vacat, balneo consulit, etiam Cæciliano, Nephriticos calculosos fabulosis vexat lithontripticis, divreticis, disentericos purgantibus, lactis potu pejùs inquinat cacochymos, Aquis metallicis ὑδρωπικούς, σκελετευμένους, ἐνθέρμους, marasmo περιφρυγεῖς ampliùs excoquit: adeò inconsultus per fas & nefas optima quæque in injuriam trahit & miscet exlex, jure ideo pœna capitis Ægyptiô forô obnoxius.

NIL proinde ad audaculum Themisonem attinet illa quæ obvia se dat nonnunquam aliud perperam agenti pejùsve feriato fortuiti casus insolens & inexspectata fœlicitas: unius tota hæc ægrotantis est plenâque fit Naturæ vindictâ, sævientis morbi inertisque unà Medici injuriæ præsenti, se suaque suopte nisu propere subducentis. Gestiat tum inscitissimus ille temeritate in paucis fœlix propitiâ dum sapienti Medico pro Fortunâ colitur rectæ consors rationis constans severâque nexa lege virtus medendi, cujus virtutis mens bona, bonæ mentis finis optimus, finis optimi legitimus usus, usus denique legitimi suis omnibus perfectum absolutumque numeris integre beatum opus, servata redemptave Magistrâ arte valetudo, nullô damnô Naturæ aut intertrimentô. Hæc una germani Medici integra fœlicitas, ut advena naturæ, domestica nulli, sed curâ & disciplinâ diligenti illius fundi colono comparanda, sic nullâ sui parte fortunæ vectigalis cui neque vilissimarum operarum τεχνικώταται serviunt, ne dum princeps Artium Medicina. Medendi quippe operum Natura non una, diversa conditio. Unius alia Naturæ planè gratuita: artificis quædam præcipua: indivisa alia communia utrique: ex his tamen, illis, istisve, nulla sine natura, hujusque ingratiis, nonnulla sine Artifice: etiam quæ casu fiunt Fortunæ nulla, omnia licet illi operam collocent hujus concilient vota, studia bene fortunent, quum munus obit ars & fortuna ministræ, Natura dominæ: huic ars coquenti, trahenti, secernenti, excernenti, retinenti famulatur illa, studia maturat, offendicula removet, opus adornat fidelis semper & ad nutum prona adstetrix, etiam tum obsequiosa atque æmula, cùm studiis diffidet.

QUAMOBREM avibus & quidem bonis auspiciôque meliore facturus quis Medicinam, unicè studeat ut ad Naturæ exemplum totum se componat, hujus agat lege, nec in re capitis eâ quâ patet & datum est ævi licentiâ tantum sibi sumat ausitque impuniti operis fiduciâ facere: caveat ne cum turba protinus manu micet, rem omnem salutis publicæ artis innocentis perditurus communis famæ simul & suæ aleam uno jactu ne adeat, inops consilii, cæcô usu, mentis ἄμοιρος, imprudentis permittat Fortunæ arbitrio, si quando ad artis incitas redacto periclitandum, sapienter periclitari discat exemplis documentisque Naturæ fidelibus, non audendi legibus & pœnæ subductâ fiduciâ. Natura duce, conspirante, comite prudentiâ se det ars in discrimen: ad opus & otia illam hæc sibi habeat portisculum: quæ una lex artis magistra rectæ, humani nil affricet erroris fortunæ domina, Dei ars, ad quam Medicus Philosophus totus integerque titulô quàm Menecrates æquiore, ἰσόθεος, consideratum animum sic appellat & applicet, ut præeat illa semper aut adjuvet suffragiô. Menstruâ solennive per os, nares, uterum, anum, mole aut vitio vel utrovis modo superantis sanguinis vindictâ hujus mittendi copiam ægrô, sanô, quovis sub cælo, tempore, segni ingerit Hæmophobo, adimit cuivis, operata crisi, viribus desideratis, mensibus, lochiis fluentibus, alvo resolutâ. Primô morbi conflictu vel summô, cum delectu purgantium ferias imperat suarum rerum sollicitius satagenti. Ecce critica per aluum vacuatione suo exemplo & more artificiosæ purgationis symbolum consignavit, auremque vulsit, vi eundem non esse χολεράδεα τρόπον, susque deque simul, sed Mente, opportunissima facilitate, commoda via, expedita morigeris humoribus etiam serosis, atrabilariis, malignis, crudis, pepasmô veluti κρίσεως καὶ μετριότητος tesserâ viatoriâ adornatis, servatis utilibus Fortunam sed eruditam sic colat sub tutela ac disciplina prudentiæ. Nullum enim numen abest, si sit prudentia, oculus illa mentis, Artis auspicatæ Norma, Naufragæ tabula, Interpres scientiæ, fortunæ anchora, libella operum medendi; Omnis denique Medicæ εὐδαιμονίας Cynosura quâ clavum dirigat & temperet.

Ergo Mente quàm Audaciâ Medicus fœlicior.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS MAILLARD Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1682.



Postulatum solet Cardinalitia [illegible] qui antequam Licentiaturæ renunciaretur, repetitiæ Laureæ patriæ, militiam [illegible]
Joannes du Mesnil [illegible] quod non satisfecisset, ad Licentiam admitti non potuit.